

363

361

367

357

372

352

412

312

462

262

Ende

Anfang

352

in manus fuit devoluta Venetorum et hodie eorum est ditioni
subdita.

Die XXIII., antequam illucesceret, solverunt classem a portu
Corcyrae, et solitis laboribus educta fuit ad canale latum, quod
dividit Epyrum ab insulis, quas nominant Gazopoleos. Per hoc
canale Dei ex gratia bonum habuimus ventum nec retardati fui-
mus voragine, quae ibi aestimatur esse, sicut dixi P. I. Fol. 13.
Nam quando non sunt venti, solutae naves in quodam loco canalis
subsistunt, et nullis galeotarum laboribus educi possunt sine ad-
jutorio aliarum navium; stat enim navis et rotatur continue et
ibi subintraret aquam, nisi ejus longitudo obsisteret, nam aqua
creditur ibi per voraginem et hiatum labi in abyssum. In ipso
canali navigavimus per rupem, quae de profundo maris se tollit,
in qua quondam generatus est immanis et terribilis draco, qui
supra civitatem Gazopam, in opposito promontorio existentem, vo-
litans urenti anhelitu ipsam infecit, et qui a morte erepti, fuge-
runt et omnia dereliquerunt, unde hodie stant muri civitatis,
turris et domus, sed sine omni habitatore. Cum autem per multos
annos bellua ista ibi omnibus formidabiliter existeret, incolae pru-
denti usi consilio cadaver hominis veneno intoxicaverunt eique
projecerunt, quo devorato scissus venter bestiae interiit. Dicunt
adhuc esse in ecclesia aeditum liberum nec tunc cum aliis ho-
miniibus infectum, ex quo arguunt, propter hominum peccatum
permissum saevire draconem. Saepe enim immittit dominus
propter peccata hominum plagas, sicut contigit in Aegypto et in
Massara, terra optima, sed tota desolata propter multitudinem
aranearum et scorpionum. Et quaedam Libyae civitas magna
vacua manet propter impetum leonum. Haec et similia dico eorum
gratia, qui parum quandoque fidei scriptoribus, ut incredibilia
narrantibus, habent.

Sub civitate super littus maris est una beatae Virginis ec-
clesia, in qua dicitur lampas semper ardere sine humano admini-
culo, non natura sed divino miraculo. Non sic lampas Veneris,
nec lucerna Pallantis, quae etiam sine humano ministerio ardebat,
sed non sine humana arte, nec sine naturae dispositione, de qui-
bus dictum est supra Fol. 140 b.

Celeriter ergo loca illa pertransivimus, sed mirum dictu,
ecce enim circa vesperas improvise, nullo opinante, subito incidit

